

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

licentiâ negat, ex sacro Einsidlensi Sacello unquam edita fuisse talia miracula, quæ à solo Deo fieri potuisse, manifestum fuerit ex ipsâ agendi ratione.

DISSERTATIO XXIV.

*An ex eo, quòd miracula sint infidelibus in signum data, Heideggerus efficaciter refutet Divæ Virginis Einsidlensis miracula?*

I. **D**Octor iste Tigurinus cit. §. 23. arg. 3. causam suam ita prosequitur. Donum linguarum, aliaquè ejusmodi miracula in signum data esse infidelibus, non credentibus, docet Paulus 1. Corinth. 16. v. 22. Cur igitur Deipara miracula patrat apud eos dantaxat, qui sibi solis axioma credentium arrogat?

II. Benè dicis Heideggere, miracula passivè esse data infidelibus, quamvis activè sint data fidelibus, ita ut donum miraculorum Deus non soleat impertiri nisi illis, quibus, cum veram teneant fidem

fidem, incumbit per miracula etiam infideles vocare ad Christi fidem, veluti clarè patet ex sacris litteris. At ipsomet Heideggero §. 15. fatente, lipis & tonsoribus nota est veneratio Eremitani Sacelli ceu Divinitus & miraculosè consecrati. In aperto etiam sunt miraculosa per solam Dei virtutem possibile opera, quæ inter Pontificios (quibus, utpote Virginis Deiparæ efficacem intercessionem efflagitantibus activè dantur) fiunt in conspectu ipsorum etiam Tigurinorum, quibus adeò miracula ejusmodi sunt data passivè. Quia ergo miracula passivè infidelibus, activè verò fidelibus data sunt, desinat mirari Heideggerus, quòd Deipara apud Pontificios duntaxat sibi solis axioma credentium reservantes, in conspectu Tigurinorum, aliorumque, qui Reformatæ, ut ajunt, Religioni se addixerunt, miracula patret.

III. Instat iste Tigurinus Professor  
arg. 5. Similia miracula olim gentilium  
Dij

Dij, Deaque patrâsse feruntur. Qui legerit libros Doctissimi Medici Hieronymi Mercurialis, deprehendet in illis exempla votorum, nec votorum duntaxat, sed etiam eventus votorum similia. Et Majorum nostrorum memoriâ in Insulâ Tyberis, ubi olim fuit Æsculapij templum, eruta sunt tabellæ aneæ & marmoreæ, quibus ejusmodi vota plurima, & eventus votorum insculptierant. Addit tandem *argumento 6.* Notum esse illud miracula fingendi apud Pontificios Cacoëthes longè perverissimum &c. Concluditque §. 24. Vix ullum miraculum à Pontificijs hætenus obtrusum esse, quin ad unum horum trium, scilicet vel ad præstigias, vel ad deceptionem, vel ad talem Divinam beneficentiam referri debeat, ut prodigiosum vel supernaturale nihil omninò habeat.

IV. Heideggere, si legeris Epistolam Pauli ad Romanos, clarè deprehendes, hoc vel maximè redargui, quòd cultum



tum, quem ex lumine naturali uno Deo debitum agnoscebant, transtulerint ad simulacra, Deos & Deas. At tefatente erant etiam vota Dijs & Deabus fictitijs facta. Agnoscebant ergo Romani ex lumine naturali, quòd vota continent cultum uni Deo congruum. Cur ergo tu, caterique Reformati Doctores ab ipso etiam lumine naturali in tantum recessistis, ut vota Deo facta dissolvatis & impugnetis; cum tamen & Propheta David *Psal. 75.* dixerit: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* & *Isaias 19.* de Christianis prædixerit: *Colent eum in hostijs, & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* & *Paulus Apostolus 1. ad Timoth. 5.* quasdam viduas ita redarguerit; *Cùm luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem (id est votum, uti sanctus Augustinus in *Psal. 75.* exponit) irritum fecerunt.* Sed inquiet ille Doctor Tigurinus, hæc vota ex eo præcipuè reprobantur, quòd deferantur Sanctis. At

no-

noverit iste Professor, non deferri Sanctis *intransitivè*, sed *transitivè*, ita ut per ipsos repræsententur Deo, tanquàm illi, cui *principaliter & ultimè* ferantur; quod licitum esse, indubium est illis, qui non magis Vigilantio hæretico, quàm sanctis Patribus deferre volunt, exemplo Zvvinglij hoc ipsum fatentis *Epücher. De Can. Missæ. Bezæ advers. 3. part. Brent. in fine.* Quòd si ex votis erga Deos factis aliqui prodigiosi eventus acciderunt, non fuerunt vera miracula, sed per causarum naturalium applicationem virtute dæmonum facti. Econtra verò probatum est, ex Sacello Einsidensi per Deiparam Virginem prodijisse opera, quæ nemo alius, nisi Deus facere potest. Hiscè proinde oporteret Heideggerum taliter habere fidem, ut vel lic operibus Divinis cederet, ac crederet. Nec morari ipsum potest, quòd homines quandoquè seductores extiterint, qui falsa fingerent miracula. Ostendat enim, si  
pos-

possit, vel ullum prodigiosum opus esse in Einsidlenſi Monasterio receptum & ratificatum, ac divulgatum, quod non legitimè examinatum, ac probatum, omnisque adeò fraudis experſerit.

V. Ad quam Pontificiorum deceptionis à se temerè assertæ probationem iterum, iterumque provoco Heideggerum, de calumniâ alioquin redarguens convitia §. 24. temerario sanè calamo per ipsum contra Pontificios exposita, quæ cum nullâ prorsus probatione, sed merâ calumniandi libidine nitantur, non sunt digna refutatione. Ne tamen velex hoc silentio glorandi occasionem arripiat, quæro ex ipso, an ita sentiat de illis quoque miraculis, quorum vinculis se in Ecclesiâ teneri asseruit Sanctus Augustinus *lib. cont. Epist. fundam. cap. 4.* An dæmonis arti præsumat ascribere miracula, quæ Sanctus Augustinus *lib. 22. De Civit. Dei cap. 8. circa medium, & a- libi* scribit facta ad Reliquias Sanctorum?  
Sed



Sed unum est, quod miror in illo Tigurino Doctore, quòd non omninò nullum, sed vix ullum, atque adeò ali- quod saltem inter Pontificios agnoscat verum miraculum. In quo sanè fatetur, reformatam, ut ajunt, Ecclesiam supera- ri à Pontificijs; sed dum hos de prætti- gijs calumniosè incusat, noverit, oportet, non istos æquè habere communi- cationem cum dæmonijs, ac suos magi- stros Lutherum, Calvinum, & Zwin- glium in libris suis gloriantes de tali spirituum imundorum, seu talium, quos ignorarent albos fuisse, vel atros, fami- liaritate & assistentiâ.

*DISSERTATIO XXV.*

*Utrum adversus Peregrinationem  
Einsidensem Heideggerus validè contendat  
ex illis Christi verbis: Ecce in Ere-  
mo est, nè egredimini?*

I. **D**OCTOR iste Tigurinus suæ *Dissert.*  
*Synodal. S. finali* ita concludit:  
Coronidem nostram exornamus fide-  
lissi-